



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

in decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Secvndam Secvndæ, & Tertiam Partem D. Thomæ

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

XXXVI. Vtrum sacramentalia, seu ritus sacramentorum operentur per se
immediatè effectum aliquem spirituales?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94839)

per se, & fouent vitam spiritualem posituè, quàm quæ medentur malo superuenienti per accidens. Quapropter Pœnitentia, & Extrema-vnctio sunt posteriores reliquis tribus; atque Pœnitentia, per quam acquiritur simpliciter sanitas deperdita, est prior, quàm Extrema-vnctio, per quam eadem perficitur magis, & reliquæ mali pelluntur. Demum inter alia sacramenta, quæ supersunt, præit Baptismus, per quem homo regeneratur; & primum esse spirituale, cui cætera deinde superædificantur, acquiritur; sequitur mox Confirmatio, augens, ac roborans virtutem datam per Baptismum, eidemque superaddens. Succedit postea Eucharistia, cui annexa est vltima vitæ Christianæ perfectio, & finis summæ vnionis cum Deo. Ordo itaque rationis hic est: Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema-vnctio, Ordo, Matrimonium.

Art. 3. Ordine necessitatis præeunt quinque sacramenta, quæ dictum est pertinere directè, & principaliter ad perfectionem vniuersi cuiusque seorsim, & secundum se. Magis etenim necesse est vnumquemque esse, & perfectum esse; quàm vt suum esse, & virtutem in alios diffundat. Inter hæc quinque, magis necessaria sunt tria illa, quæ dictum est requiri per se, quàm reliqua duo requisita per accidens ratione peccati purè personalis, cuius solius existentia, & non etiam originalis est per accidens respectu institutionis sacramentorum, vt patet ex q. 11. Ex istis duobus magis necessarium est, vt per se patet, quod tollit peccata quoad substantiam, quàm quod solum tollit, saltem per se, reliquias eorum. Iam ex illis aliis tribus summa necessitas est eius sacramenti, quod dat primum esse spirituale, & sine quo cætera haberi non possunt. Magis deinde necessarium est vnde specialiter prouenit robur fidei, quàm vnde specialiter prouenit augmentum charitatis. Quia fides est magis necessaria, quàm charitas; cum hæc absque illa haberi minime possit; bene tamen è conuerso. Demum ex sacramentis ordinatis ad multitudinem, magis necessarium est, vnde propagantur filij carnales, quàm vnde spirituales propagantur: idque propter eandem impossibilitatem, vt dentur spirituales absque carnalibus, cum isti absque illis existere possint. Per hunc igitur discursum, iuxta notionem sacramentorum præmissam in q. præcedenti, apparet seriem necessitatis inter ipsa esse istam: Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema-vnctio, Matrimonium, Ordo.

Art. 4. Ordo dignitatis inter eadem Sacramenta est idem, atque ordo necessitatis, sed inuersus. Quia sacramenta, vt sacramenta, sunt media ad sanctitatem, & vitam æternam; atque mediis magis necessariis superadduntur minùs necessaria sub eodem genere, vt accumulent maiorem perfectionem, supra perfectionem præexistentem, vtque superaddita ea maiore perfectione accedant propinquius ad finem, cuius est summa perfectio. Præcellunt igitur dignitate sacramenta, quæ sunt minùs necessaria; & eò magis quò minùs necessaria sunt. Excipiuntur tamen Eucharistia, quæ tenet primum locum dignitatis; & Matrimonium, cuius est postremus locus. Vtrumque enim hoc sacramentum eximitur, licet opposito modo ab identitate eius rationis, secundum quam instituta à nobis est sacramentorum vniuersum omnium comparatio, quoad dignitatem ipsorum. Quia sacramentum Eucharistiæ non habet solam rationem mediij, sed magis rationem finis propter realem Christi Domini inclusionem in se, qui est finis omnium aliorum tum spiritualium, tum corporalium: necnon propter vberiore inderedundantem abundantiam gratiæ, atque maiorem vim præseruandi à peccatis iam iterum notatam supra. Matrimonij verò maior necessitas, quàm ordinis non est formaliter ex ratione sacramenti, & gratiæ, quam

confert; sed ex ratione contractus, & generationis naturalis: Et quod ad rationem sacramenti attinet, minùs gratiæ confert, quàm vllum aliud sacramentum. Quia finis specialis eius per se facilius, & essentialiter minùs dignus, quàm fines speciales cæterorum sacramentorum. Series itaque dignitatis, & perfectionis inter sacramenta est, quæ sequitur: Eucharistia, Ordo, Extrema-vnctio, Pœnitentia, Confirmatio, Baptismus, Matrimonium.

Ad rationem dubitandi. Contingit idem principium, & causam principalem vt disparibus instrumentis ad effectus similiter dispares inter se. Ostensum autem est dispares esse effectus sacramentorum disparitate, tum necessitatis, tum etiam dignitatis, nec non independentiæ quoad apprehensionem, & intelligentiam. Auctores oppositum sentientes, ideo inciderunt in illam, vt dicam syncrè, inanitatem excedentis, & excessi, quam vniuersaliter est impossibile, reperiri inter vllas duas species infimas rerum absque excessu simpliciter alterutrinus ex illis, vt obiter conclusum est q. 44. de Deo ad 7. art. 2. & alibi ostenditur ex professo. Inciderunt inquam in huiusmodi inanitatem, quia confuderunt ordinem necessitatis cum ordine dignitatis; cum re ipsa sint non solum diuersi, sed etiam oppositi ordines. Quæ eorum confusio apparet ex illa eorundem comparatione inter Eucharistiam, & Baptismum, ac Pœnitentiam; sicut apparet falsitas eius confusionis per rationes à nobis productas, quibus etiam præoccupantur multa alia, quæ leuiter mouent in præsentem Bernal, & alij nonnulli.

QVÆSTIO XXXVI.

Virum sacramentalia, seu ritus Sacramentorum operentur per se immediatè effectum aliquem spirituales?

Videntur nullum eiusmodi defectum operari posse
1. Quia quod est vndeque perfectum, qualibet additione non minùs, quàm detractone qualibet deterioratur, sacramenta autem existunt auctore Deo, cuius opera sunt vndeque perfecta. Ergo sacramenta, quæ sunt ex institutione Dei, deteriorantur per additionem rituum sacramentalium, qui superinducti sunt institutione humana. Quod autem nocet operi Dei non potest esse inductum effectus vllius spiritualis, sed potius impeditiuum, aut diminutiuum effectus alioquin extituri.

2. Quod est signum simul, & causa effectus alicuius spiritualis, non est sacramentale tantum, & circumstantia sacramenti; sed per se ipsum præcisè est verè, ac propriè sacramentum, vt liquet ex eius definitione, & declaratione tradita quæstione 1. Repugnat igitur in terminis sacramentalia, atque ritus accidentales sacramentorum esse causatiuos per se immediatè effectus vllius sacramentalis. Sunt itaque signa tantum eorum præcisè effectuum, quos inducunt sacramenta vi sua secundum se, nec aliud specialiter operantur, quàm vt significationem propriam sacramentorum imprimant magis animo, reddantque clariorem.

3. Ritus sacramentales ex sua natura ordinantur singuli ad singula sacramenta quibus adiacent. Ergo si quem haberent effectum peculiarem, is similiter ordinaretur ad effectum sacramentorum, tanquam quædam dispositio peculiaris ad ipsum. Quia sicut se habet causa ad causam, ita se habet effectus ad effectum earundem causarum. Sequela autem est falsa. Quia plures ritus sacramentales adhibentur post peractum substantia

substantialiter sacramentum; ac proinde post existentiam effectus causati per ipsum sacramentum. Nequit verò habere rationem dispositionis ad aliquem effectum, quod sequitur post eundem effectum. Adde eiusdem rationis esse ritus, qui antecedunt, & comitantur substantiam sacramenti, quique superadduntur post ipsam.

Art. 1. Respondetur. Ritus sacer, seu sacra ceremonia est actio exterior, qua Deus colitur. Hinc ritus sacramentalis est duplex. Alter substantialis consistens in actionibus enunciatiuis formæ, & exhibitivis, aut applicatiuis materiæ, quibus perficitur sacramentum; atque hic ritus est indistinctus ab ipso sacramento, & ab eius essentia; vel certè est inseparabilis per se à substantia, & essentia sacramenti. Alter ritus est accidentalis, qui definitur, ex communi Theologorum sensu; *actio exterior religiosa, conferens ad decentem, & deuotam administrationem Sacramenti.* Istiusmodi ritus, sacramentalia propriissime dicuntur quasi sacramentis adiacentes; & qui sunt ab Ecclesia præscripti, non possunt omitti absque peccato, eoque graui ex sua natura. Quia eorum omissio est peccatum contra Religionem; sæpè tamen est veniale ex leuitate materiæ.

Art. 2. Differunt hi ritus à sacramentis non solum ex auctore institutionis, vt quidam temerè ausi sunt dicere, sed etiam, & multò magis, atque penes conceptum intrinsecum, & formalem, quæ non sunt causæ, neque proximæ, neque remotæ sanctitatis, seu gratiæ sanctificantis ex opere operato; quæ causalitas est de conceptu sacramenti, vt dictum est supra. Vnde licet Ecclesia non possit instituere sacramenta iuxta dicta in quæst. 20. sicut potest instituere, instituitque de facto ritus sacramentales, seu sacramentalia; tamen Deus, qui instituit sacramenta, potuisset instituere similiter per se immediate sacramentalia, ritusque accidentales sacramentorum, virtutis, & efficaciam haud quaquam maioris, quam sint ritus humana Ecclesiæ auctoritate instituti de facto. Superaddunt nihilominus ritus isti sacramentales, sacramentis ipsis secundum se consideratis, causalitatem accidentalem; quatenus significationem eorum practicam, licet non reddant, aut magis certam, aut inductiam maioris sanctitatis ex opere operato; nihilominus reddunt manifestiorem, magisque perceptibilem, & animo imprimunt altius, ac suauius; atque inde deriuatur fructus specialis deuotionis expressus in definitione. Quatenus verò præterea conferunt ad maiorem decentiam administrationis sacramentorum, voluntas obsequiosa respectu Ecclesiæ, per quam religiosè exhibentur, est meritoria gratiæ de condigno, vel saltem de congruo, prout contigerit esse iustum, vel peccatorem eum, qui eos actus pios, ac religiosos exercet.

Art. 3. His de causis laudabiliter, ac vtiliter eiusmodi ritus instituit Ecclesia, & superaddidit substantiæ sacramentorum, vt apparet ex Concil. Trident. sess. 7. can. 13. vtique faceret, vsa est auctoritate legitima à Christo deriuata, vt tradit idem Concilium sess. 21. cap. 2. ex illo Pauli 1. ad Corinth. 4. 1. *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi & dispensatores ministeriorum Dei;* nec non ex cap. 11. eiusdem Epistolæ v. 3. 4. *Cetera autem, cum venero, disponam;* videlicet ritus seruandos in dispensatione Eucharistiæ, de cuius vsu, & cultu præierat sermo. De iisdem, Augustinus Epist. 118. cap. 6. *Non præcepit Christus,* inquit, *quo deinceps ordine sumeretur, vt Apostolis, per quos Ecclesiam dispositurus erat, seruariet hunc locum.* Circa eandem Ecclesiæ potestatem ad instituendos eiusmodi ritus, & circa assertam eorum vtilitatem videri plura possunt ex Sanctis PP. apud Suarez tom. 3. in 3. par. disp. 15. sect. 3. tom. 4. disp. 12. sect. 2.

Art. 4. Quoad vtilitatem, & efficaciam istorum ri-

tuum controuertitur inter Theologos; an aliquem præterea alium effectum operentur peculiariter vi sua, vltra eos, qui iam expositi sunt, eisque conueniunt ex indubitato, ac vnanimi omnium Catholicorum auctorum consensu? Controuersia autem præcipue est quoad tres nominatim effectus, nempe remissionem venialium; auxilium aliquod gratiæ actualis; & cohibitionem, vel expulsionem demonum ex opere operato. De isto postremo effectu expulsionis, seu cohibitionis demonum dicitur opportunius infra quæst. 49. vbi de exorcismis. Similiter de remissione venialium agendum erit infra quæst. 92. Nempe expulsio demonum non est communis ritibus omnium sacramentorum vniuersaliter; & controuersia de venialium remissione est communis, aliis præterea operationibus exterioribus, quæ sacramentalia dicuntur latè, & exhibentur seorsim absque vlla dependentia ab administratione sacramentorum. In præsentia autem agitur de ritibus sacramentorum vniuersaliter omnium indiscriminatum, deque iis solis. Quoad vim inducendi auxilium aliquod actualis gratiæ ex opere operato; tametsi eam iis ritibus attribuant Caietan. Soto, & alij; atque illis suffragari videatur D. Thom. quæst. 71. art. 3. dicens, *unctionera*, quæ fit in capite baptizati, conferre auxilium ad conseruandam gratiam baptismalem, & per saluam typicam, atque actum sacerdotalem diuinam virtutem operari salutem catholicum. Quod ipsum docuerat ante Rabbanus lib. 1. de institutione Cleric. cap. 27. Dicendum nihilominus videtur cum Suarez, & plerisque aliis, prædictis ritibus non conuenire vniuersaliter vim conferendi ex opere operato auxilium aliquod gratiæ actualis; illudque inducere aliquos tantum ex iisdem ritibus; & aliquando, nempe eos solum qui exhibentur adiunctis orationibus, ac precibus ab Ecclesia præscriptis; atque in illis solis circumstantiis, in quibus aliæ etiam similes orationes solent impetrare, quod petitur iuxta documenta vniuersalia de virtute impetratoria orationis, de quibus alibi. Huiusmodi preces funduntur inter vngendum caput baptizati, & dum adhibetur salua typica. Nec dubitari potest eas preces fusas nomine Ecclesiæ, & ex eiusdem præscripto habere vim peculiarem impetrandi à Deo, quod petitur, ideòque doctrinam Rabban, & D. Thomæ esse eatenus verissimam, idest quoad id totum, quod vterque exprimit.

Art. 5. Ceterum nulla inde deduci potest consequentia pro virtute simili aliorum rituum sacramentalium, quibus nullæ similes preces superadduntur. Nullum namque pro iis fundamentum apparet, vt asseratur virtus inducendi auxilia aliqua gratiæ ex opere operato. Sola itaque concedenda illis est virtus excitandi deuotionem per auxilia actualia gratiæ, quæ Deus vniuersaliter subinserit omnibus, & singulis opportunitatibus benè operandi, iuxta naturam vniuscuiusque opportunitatis conflata ex confluxu obiectorum, & circumstantiarum omnium, quibus illæ constituitur, vt pluries dictum est in qq. de gratia. Ritus autem sacramentales, quatenus instituti ad placitum ab Ecclesia ad fouendam deuotionem fidelium circa sacramentorum frequentiam, atque deinde exhibiti reuerenter cum eadem intentione implicita, vel explicita, continent in se opportunitatem peculiarem excitandi animum ad actus deuotionis peculiariter directos in eos fines, ad quos vnumquodque sacramentum ordinatur ex sua natura iuxta institutionem Christi, prout iudicatum est quæst. 28. quæst. 34.


Ad 1. Semper Deus perfectissime præstat se solo quicquid pertinet ad solam ipsius secundum se causalitatem, nec perfici potest cooperantibus causis secundis. Sed si quid superfit, quod superaddi possit cooperant

cooperantibus causis secundis, id peragendum, atque superaddendum relinquitur per cooperationem ipsarum, ne perperam acceperint à Deo virtutem eatenus ipsi cooperandi, atque manifestandi virtutem diuinam non solum, vt agat per se ipsam, sed etiam vt communicet aliis virtutem agendi, sibi que cooperandi. Hinc fit, vt sacramenta sint vndeque perfecta quoad substantiam, & essentiam suam ex vi solius diuinæ operationis secundum se, nec quidquam eatenus vtiliter efficere possit humana institutio, aut virtus aliqua actiua creata. Quia sacramenta eatenus respiciunt solam virtutem diuinam, nec sunt capacia cooperationis humanæ, vt superius dictum est. Caterum ornatus alij, & circumstantiæ accidentales non prætergrediuntur limites virtutis, & institutionis humanæ, idcircoque eorum ordinatio, ac institutio relicta est institutioni, & dispositioni Ecclesiæ, vt præmissum est, ex Augustino, atque ex clara insinuatione Apostoli art. 3.

Ad 2. Non solum non sufficit ad rationem sacramenti vis peculiaris excitandi deuotionem modo superius explicato, sed neque sufficeret ad eandem vis inducendi ex opere operato auxilia gratiæ actualis congruentia fini vniuscuiusque sacramenti, pro vt nonnulli alij contendunt. Quia ad rationem sacramenti requiritur significatio practica gratiæ habitualis, atque sanctitatis simpliciter talis, quam significationem nullus vnquam Doctor Catholicus prædictis ritibus attribuit.

Ad 3. Effectus à nobis attributus ritibus sacramentalibus non habet rationem dispositionis respectu effectus, quem conferunt sacramenta secundum se ex opere operato, sed solum iuuat, vt idem effectus vtilius percipiatur maiori que cum sensu deuotionis, & consolationis spiritualis, sine qua, & cum qua maiori vtilitate, ac deuotione perinde subsistere absolute potest effectus sacramenti secundum se, sicut ipsum sacramentum perinde potest absolute subsistere cum, & sine prædictis ritibus. Atque in hoc præcisè consistit, & non in eo, quod intendit obiectio correspondentiæ eiusmodi causarum, & effectuum.

Finit Quæstionum de Sacramentis in genere.



INCIPIUNT QVÆSTIONES de Sacramento Baptismi.

QVÆSTIO XXXVII.

*Vtrum Baptismus sit Sacramentum remissum
omnium præcedentium peccatorum.*

VIDE TUR non rectè definiti Baptismus hoc modo. 1. Quia ritum baptizandi usurpat nunc Ecclesia ad eum modum, quo eandem olim usurpabant multipliciter Hebræi per ablutiones illas suas ceremoniales, quæ ab Apostolo vocantur Baptismata. 9. ad Hebr. 10. Baptismata autem, seu ablutiones illæ Hebræorum non erant vera sacramenta. Certè non erant sacramenta remissiua peccatorum, vt liquet ex dictis suprâ quæst. 20. Ergo neque ritus ablutionis, quo nunc vtitur Ecclesia, sub eodem baptismi nomine, habet veram rationem sacramenti remissiui peccatorum.

2. Non est præstantior, ac efficacior Baptismus, quo baptizantur ceteri post Christum Dominum, quam quo ipse Dominus Iesus Christus Matth. 3. 16. perhibetur baptizatus in Iordane à Ioanne Baptista;

quandoquidem decet, quæ pertinent immediatè ad Christum Dominum, omnia præeminere potius iis, quæ pertinent ad reliquos homines, sicut ipse præminet reliquis hominibus tanquam *Primogenitus omnis Creaturae*, & tanquam *Caput corporis Ecclesiæ*, atque vtrique hoc titulo, in omnibus primatum tenens, vt dicitur 1. ad Coloss. à vers. 15. Baptismus autem Ioannis, quo baptizatus est Christus, non fuit verum sacramentum collatum gratiæ, & remissiui peccatorum vt protestatur ipse Baptista. Matth. 3. 11.

3. Baptismus habet alium effectum præter remissionem peccatorum, cumque separabilem mutuo ab eadem remissione, nempe characterem, qui, & potest conferri sine remissione peccatorum, vt accidit in baptizatis carentibus dispositione sufficienti ad iustificationem; & sine quo vicissim potest conferri ipsa peccatorum remissio, vt accidit in nondum baptizatis, & nihilominus iustificatis per contritionem, vel martyrium. Ergo nec explicitè, nec implicitè exponitur, per vim remissiui peccatorum, conceptus adæquatus, ac vltimo discretius baptismi. Accedit remissionem peccatorum esse communem baptismo, cum poenitentia; atque conceptum quidditatum rei, non satis manifestari per ea, quæ sunt communia cum aliis.

4. Fieri potuit, vt institueretur à Deo sacramentum remissiui omnium præcedentium peccatorum, constans materia, & forma diuersæ speciei à materia, & forma, quibus constat noster baptismus, quodque proinde differret specie ab hoc sacramento baptismi. Non igitur innotescit satis ratio specifica vltima baptismi, per vim eam remissiui peccatorum.

5. Eadem ratione, qua absurdum meritò reputatur mutare significationes vocum communiter receptas, absurdum itidem est, mutare definitiones rerum, communiter receptas. Vtrumque enim suboritur idem confusions inconueniens, vt aliud loquens, aliud intelligat audiens, sub iisdem vocibus. Differt autem plurimum definitio proposita, à definitionibus baptismi communiter receptis. Quia à Mag. distinctè, initio, & à D. Thom. quæst. 66. art. 1. & à plerisque aliis definitur: *Ablutio corporis exterior, facta sub præscripta forma verborum*, ab Hugone de S. Victore lib. 2. de sacr. parte 6. cap. 2. & à nonnullis aliis dicitur: *Aqua diluendis criminibus sanctificata per verbum Dei*, à Suarez in comment. dicti art. 1. & ab aliis nuncupatur: *Sacramentum regenerationis*, seu *sacramentum ad spiritualem generationem fidelium institutum*: In cæcathismo Py V. traditur definitio continens in se indiuisim istas tres definitiones, dicitur enim baptismus esse *sacramentum regenerationis per lauacrum aque in verbo vita*. Apud Damascenum lib. 4. de fide cap. 10 ad med. Baptismus est *regeneratio, & sigillum, & custodia, & illuminatio*. Denique D. Dionysius tripliciter exponit baptismum c. 2. Eccles. Hieron. sub initium, relatiuè nimirum tum ad alia sacramenta, tum ad finem vitæ spiritualis, qui est beatitudo, tum ad initium eiusdem vitæ, quod est prima iustificatio, dicit enim primo: Baptismus esse *quoddam principium sanctissimorum mandatorum sacræ actionis ad eorum susceptionem opportunitatem formans nostros animales habitus*: Deinde ad *supercælestis quietis Anagogen*, nostrum iter facere; Denique, esse *sacræ, & diuinissimæ nostræ regenerationis traditionem*. Quos exponendi modos imitantur plures alij Patres apud Suarez nuper indicatum, maxime verò Basilii, Gregorii, tum Nissenus, tum Nazianzenus, & Augustinus, nec non Tertullianus, qui scripsere ex professo de hoc sacramento. Oportet igitur vt potius aliqua ex istiusmodi expositionibus antiqua, & sacra approbatione communis, quam nouam aliam inducere ab illis dissidentem.

6. In omni immutatione præminet terminus ad quem,